

Atem habent eum quadam viriditate vt oleum; ostendunt pituitam huius esse causam: que vehementer agitata à calore, vndiquaque cum vrina miscetur, adeo vt cum vrinae liquore ita sit coniuncta, vt ab ea separari nequeat, quo modo etiam non separatur bilis, quæ liquorem vrinae tingit: & propterea talis vrina aliquando difficiles & longos morbos ostendit. Tales enim solent esse qui fiunt ex pituita; quod satis exprimit Hippocrates quum in loco præcitato Epid. refert, Parium qui oleosas vrinas minagebat, centesimo primo die post initium morbi periisse. Quia ergo flauitiam habet talis vrina, vel palliditatem; bilis flauæ vel pallidæ ostendit mixtionem, quia vero simul habet liuiditatem coniunctam cum splendore; pariter testatur bilis atræ portionem. Et quoniam habet crassitiam cum quadam visciditate, quæ non separatur a liquore; agitationem magnam in pituita factam, & hanc exactè mixtam cum liquore declarat. Hæc ratio videtur dictare, adferant meliora qui possunt, de causis harum vrinarum.

B De causis opacitatis & luciditatis in vrina. Cap. XIV.

VRINAE perspicuæ & diaphanæ dicuntur illæ per quas visus facillè penetrat, opacæ autem vocantur per quas visus nequaquam aut difficile penetrare potest. Quæ quidem accidentia recipiuntur tum in crassis tum in tenuibus vrinis, vt superius ex Auicenna annotauimus. Galenus tamen id non animaduertit; nam opacitatem videtur solum agnoscere in crassis vrinis, & opacas non vocat sed turbidas, quibus non diaphanas sed tenues & puras opponit, vt ex quarto Comment. secundi Prorrheticorum apparet; vbi turbidam vocat, quæ similis est ei quæ agitur, & ex ea agitatione subsidentia miscetur cum liquore; vel qualis est iumentorum vrina. tales autem vrinae sunt opacæ, sed subiugales sunt simul crassæ suapte natura. Quæ vero conturbatæ sunt, eo quod hypostasys cum liquore sit mixta suapte natura, necessario non est crassa. Quod autem turbidis opponat tenues, patet ex primo de Crisibus, vbi turbidarum vrinarum triplicem facit differentiam; Vnam in qua vrina, postquam micta est, manet turbida, vt est ab ipso corpore excreta; Aliam vero dicit paulo post residere, quod nihil aliud est quam partes crassas separare a tenuibus, & vrinae liquorem tenuem reddi; Tertiam dicit esse quæ pura mingitur, & postea conturbatur. Et quum dicit vrinas quasdam tenues & puras excerni, & postea conturbari, ostendit se tenues turbatis opponere. Verum præstat oppositionem facere per proprias differentias, & illis subijcere omnes suas species. Ergo dicamus vrinam quandam esse perspicuam & claram; aliam vero opacam & obscuram; inter quas, vt dixi, reperiuntur & crassæ & tenues; verum inter crassas non omnes, sed solum quæ subiugales dicuntur, qualis est equorum vrina, vel quæ postquam subsiderunt, manu conturbantur & confunduntur, & quæ ab aere extrinseco densantur & conturbantur. Quæ vero crassæ sunt, concocto humore, vt in declinatione febrium, & veram faciunt subsidentiam; non solent esse opacæ, sed perspicuæ, nisi forte natura cum vrina, vel omnes vel bonam partem humorum laedentium expurget. Quarum omnium causæ sunt inuestigandæ ex generali causâ opacitatis & perspicuitatis, quam inuenire quam sit difficile, tunc patebit, quum ostenderit quid Galenus & alij scriptores docuerint de ea re.

De causis opacitatis & Luciditatis in vrinis, ex Galeno & alijs scriptoribus. Cap. XV.



SCRIBIT Galenus libro primo de Crisibus, turbidas urinas, quæ semper manent turbidæ, ostendere quod vigeat in sanguine agitatio; quod si, postquam micta est, turbida residet, turbulentæ inæqualis aliquid superesse; quod si extra turbetur, illam ostendere quod debeat incipere concoctio. Atque hanc Galeni opinionem Medicis multa habita consideratione receperunt. Nam ut à postrema vrina incipiam; si ea mingitur clara, & postea foris conturbatur & corrumpitur; causus habet externas siue corruptionis, non internas. Nam donec ab interna regebatur cæ, tandiu clara mansit; postea vero illa deficiente & assumpta ea quam dedit aer ambiens, corrumpitur. Quod si ita est, quid potest de corpore ostendere; qualem quæso causam nisi extrinsecam; Præterea, videmus id contingere non solum in vrinis ægotantium, sed in vrinis omnium sanorum. Si enim in aere diu feruentur, tandem corrumpuntur; sed citius in aere frigidior, postea in calidior, deinde etiam in temperato. Nam urine calor, qui omnia quæ sunt in vrina diuidebat, extenuabat, & propterea luciditatis erat cæ; tandem exhalat, & ita suo calore destituta refrigeratur, & ex frigore heterogenea inter se miscentur, densanturque omnia, atque ita confusio & conturbatio oritur. Et quoniam frigidus aer vim maximam habet extinguendi calorem & spiritus vrinae; ideo hieme promptissimè urine omnes conturbantur. Calor item æstiuus quia multum rarefacit, ideo dissipat & euocat spiritus ipsius urine; quibus dissolutis vrina pari modo confunditur. Et quia aer temperatus minorem habet vim refrigerandi, aut dissoluendi; idcirco vrinae in tali

Ioann. Argent. De Vrinis Liber.

I aere